

- Pro dolor! amisit hanc solus episcopus, ordo
 qui labefactatur nunc sine lege sua;
 debuit et qui aliis legalia promere iura,
 officii perdit ius sine iure sui.
- 55 Culpa facit saevum confessa perire latronem:
 non est confessus praesul, et ecce perit.
 Cumque suis egeant mundana negotia rebus,
 causa quibus iustum possit habere modum,
 nostra eguit iusto rationis pondere causa;
- 60 saevitia excepta nullum habet ista modum.
 Non ibi testis inest, iudex nec idoneus ullus,
 non aliquod crimen ipse ego fassus eram.
 Esto: forem fassus — cuius censura valeret
 dedere iudicii congrua frena mihi?
- 65 Solius illud opus Romani praesulis extat,
 cuius ego accepi pallia sancta manu.
- Mittere, care, mihi libuit tibi carmina quaedam,
 nostra quibus lusit Musa iocosa parum.
 Tempore praeterea hoc quaedam miracula visa
 70 dicuntur, breviter e quibus ista canam.
- Est fluvius, Sartam Galli dixere priores:
 Perticus hunc gignit et Meduana bibit,
 fluctibus ille suis penetrans Cenomanica rura,
 moenia qui propter illius urbis abit.
- 75 Quo cives transire solent prope lintribus illum,
 illic portentum non leve fecit eis.
 Denique roscidulas tenebras cum aurora fugaret
 et solito peterent more fluenta homines,
 est propriis spoliatus aquis locus ille repertus,
- 80 qui rate seu remis pervius ante fuit.
 Stantibus atque undis populus hinc inde stupebat,
 alveus et plebem ad interiora vocat.

52 fehlt G — labefactatus FH — 55 cofessa H — 59—60 fehlen F — 65 romanis, s getilgt G — 67 cara F, cura H — 68 locosa TG — 69 Tempora F — uis G — 70 he quibus TG, haec quibus D.

Marginalie neben v. 67—70: „De siccitate cuiusdam fluvii“ G, *dasselbe neben v. 71:* C. *Überschrift über v. 71:* „De fluvio qui siccatus est“ S.

72 Porticus F, Posticus H — 73 cenomaica F — ruru G — 75 Quod TGFH D. — 76 facit F — 81 populus H